


E L E M E N T A

G E O M E T R I Æ



P R O Æ M I U M.

De definitione & divisione Geometriæ.

I. **G** *Geometria* est scientia magnitudinum, *solidorum* nempe, *superficierum* & *linearum*. Solidum est magnitudo in longum latum & profundum extensa. Quamvis autem nihil sit in rerum natura continuum quod tres illas dimensiones simul non habeat, illæ tamen seorsim considerari possunt, vel etiam duas tantum concipere possumus de tertia minime cogitantes; atque hinc intelligitur notio superficies & lineæ. Superficies est magnitudo tantum in longum & latum extensa. Linea autem est magnitudo extensa tantum in longum. Et re quidem ipsa, itineris longitudinem nobis representamus, non attenta ejus latitudine, & planitie latitudinem intelligimus terrarum profunditatem nequaquam considerantes. Denique si concipiamus lineæ terminum, cujus nulla pars sit, nulla extensio, jam terminus ille *punctum* dicitur. Itaque ad explicandam Tironibus Geometriæ definitionem, id primum ostendi debet, quomodo per varios abstractionum gradus ex corporis *physici*, & prout est in se, confide-